Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 313

Quelle:
Copyright:

ueciuitatis Salczburgen. dioc. deambulans Laicum quendam ſibi obvium et apprehenſo cultello minacem poſt mutua convitia *cum gladio non euaginato inter ſcapulas;* verum Socii illum perſecuti occiderunt. Signatae ſunt hae Literae ad oram inferam: *N. Sypontinus.* Itaque veneratus ſum manum *Nicolai Perotti* Ep. *Sipontini* Viri inter primos Literarum Vindices eruditi, et cariſſimi magni *Beſſarionis* alumni, quae hoc in Urbe noſtra exaravit. De ejus Vita et Scriptis agit *Niceronus* T. IX. p. 374.

CCXIV.

U. 44 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 290. f. currente calamo ſcriptus ita ſe in Theca anteriore enunciat: *Hic continetur expoſicio epiſtole Pauli apoſtoli ad colloſenſes ſecundum quod legit in ſcolis theologicis ſtudij wyennenſis Honorabilis ac egregius vir Magiſter petrus de pirchenwart ſacre theologie profeſſor eximius. cuius anima deo viuat. Item expoſicio ſuper epiſtola ad theſſalonicenſes. Item ſuper epiſtola ad tytum. Item dubia circa predictas epiſtolas ſecundum ordinem.* Praemittitur vero Index realis et ipſa etiam Argumenta ante ſingulas Epiſtolas exponuntur. Initium Epiſtolae ad *Coloſſ.* eſt: *Paulus Apoſtolus* &c. *Iſta eſt epiſtola beati pauli Apoſtoli quam ſcribit ipſis coloſſenſibus* &c. Ita *fol.* 66. p. 2. Epiſtola ad *Theſſalonic. I. fol.* 117. p. 2. ad *Theſſal. II. fol.* 142. ad *Titum, fol.* 178. ad *Philemonem.* Vides igitur plura praeſtari, quam quidem praevia illa *Nota* pollicebatur. Ad calcem Epiſtolae ad *Titum* haec habentur: *Et ſic eſt finis illius Epiſtole ad Tytum Qui factus eſt legendo, ſabbato ante dominicam palmarum Anno domini 1435°.* Unde egregie doctus Interpres noſter *Petrus Reicher de Pirchenwart* D. *Stephani* Canonicus vitam ultra annos T. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 102. ei adſignatos produxit, mortuus, ut habet *Locheri Speculum Acad.* anno 1436. *Dubia* ſuperius indicata a *fol.* 191. usque ad Codicis finem pertingunt.

CCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 160 Folior. 492. f. per duas columnas currente calamo exaratus, et ſub finem male habitus continet: I. *Lecturam* ſcholaſticam prolixam in *D. Pauli Ap. Epiſtolam ad Hebraeos*, quam manus recens *Johanni Gröſſel de Titmanning* inſcripſit, Autore ipſo praemittente: *Anno 1455. tredecima Junij exorſus preſens ſum opus.* Quod ſi is ſit *Joh. Gröſſelius*, labor iſte in tertium Rectoratum Academicum Viri incidit. Dixi de illo alias. Lectura praeſens incipit: *Diuine prouidentie fauente clementia lectionis epiſtole ad hebreos Doctoris gentium egregij Pauli apoſtoli vaſis electionis operam poſſetenus aggreſſurus* &c. Et finit: *Gratiam et gloriam dabit dominus;* cum addito: *Explicit ſcriptum ſuper epiſtolam ad hebreos Anno do-*